

De figuris lapidum, &c.

A Testæ figlinę similitudine Ceramites, *κεραμίτις*, lapis à Græcis dictus videtur: sicut & Ostracites: quem tamé Plinius pro Ostreite (id est, Ostreo conchæ marinæ priuatim dictæ, simili lapide, aut Ostreo ipso in lapidem conuerso,) accepit: vt pluribus supra Cap. 4. in Sideritæ lapidis mentione indicaui. Ceramites eadem esset quâ Ostraciten vocant, nisi quòd hæc cœruleæ interdum bullæ cingunt, Plinius: qui Cadmiæ etiam speciem Ostracitin vocat, totam nigram, & cæterarum sordidissimam. *Κεραμίτις* Græca dictio testam vel tegulam significans, ad Germanicum Scherb accedit: & κ. literam Græci quidam, tanquam Sch. proferunt. Plinij quidam codices habent Cheramides, ego Ceramites vel Ceramoides (*κεραμοειδής*) legerim: vt pro Cepionide, *κεπιοειδής* in eodem.

Tigni erecti similitudinē habet Basaltes Misenus & Syenites: Trabis (*τράβη*

*στέρη*